


les tres Tomos ad manum habuiffem. Pro modulo etiam, quo Linguam Italicam, non nisi sub obscuritate legere, ac intelligere valeo, magnum fateor, me ex iisdem hauiffisse adducendarum rationum, & probationum emolumentum. Quapropter, si temporum, ac rerum circumstantiæ pro futuro ulterius quid exigent (exurgente forsitan, sub nonnulla nominis variatione, *VERINO MODESTO*) tales Tomos aliis meis Confratribus, in Idiomate Italico magis versatis, pro triumpho Veritatis, intimius commendo: si enim cæcutiens multum in iisdem invenerit, quid non inventient illi, qui Libros hos, omnia Minoritica exhibentes, de pleno intelligunt; equidem *non nisi in pacis tempore bene colitur pacis Author.* Clement. dudum de sepulturis.



## CAPUT DUODECIMUM

*De Quotlibetis Discursûs Polemici, seu de nonnullis, que sparsim obmouet, præsertim in Appendice.*

Num. 1. Nunc, sicut ad finem, sic etiam ad illum, qui nobis hæc otia, seu negotia fecit, non nihil adhuc accedamus. Postulat Modestus Verinus sibi adhiberi fidem, etiam, dum nedum sinistra; sed & infideliter, tum meos, tum aliorum textus, & asserta allegat; prout non in

uno loco jam tum demonstravi. A me nihilominus (qui legem *Corneliam* nullibi adhuc offendens inventus sum) exigit authentica: nec sufficit ipsi, quod ego in Dialogo Cont. pag. 110. Archi-Episcopalem Approbationem, & Confirmationem Conventus Observantini in *Baccharach* non ex integro, sed solum adduxerim tanquam expeditam anno 1640. die 11. Octobris, per Reverendissimum Ottonem Suffraganeum Trevirensem, & Episcopum Azoiensem; Unde totum hoc Verina Modestia rejiciens pag. 306. inquit, *Mirabuntur utique Historia Trevirensis periti, quod P. Matare ad annum 1639. (malè allegatum) Philippi Christophori Archi-Episcopalem pro se, suisque Autoritatem alleget, cum tamen ad annos 1639. 1640. eundem Archi-Episcopum in Austria latuisse captivum constet.* Deinde addit Ottonem illum Suffraganeum apud Capitulum, penès quod politia, etiam Ecclesiastica tunc residebat, exiguo loco fuisse. Et tandem subjungit: *Quibus tamen non attentis, Neotericus noster confidenter, & autoritativè nos docet, quod ab ipso allegata Observantium restitutio ad annum 1639. per Marchionem Castanedanum facta, approbata quoque, & confirmata fuerit per Trevirorum Antistitem, nullà rursus Autoritate pollentem, sicque in publico quodammodo non existentem &c.*

Num. 2. Quæso mi M. Verine! éstne hoc autoritativè docere, dum quis factum aliquod  
cum

cum anno, mense, ac die producit? An captivato Archi-Episcopo, captivata etiam intelligenda sit Archi-Episcopalis Jurisdictio, seu facultas expediendi, quæ expedienda sunt? Imò dum hanc fateris resedisse tunc temporis penès Metropolitanum Capitulum (ne etiam censeretur abducta fuisse in Austriam) nunquid, hoc non obstante, Vicarii Generales, tam in Pontificalibus, quàm in Spiritualibus, & contentiosis, suas expeditiones profèqui in forma consueta, & quàm Vicarii Archi-Episcopi poterant? Si suffraganeus ille apud *ad interim* tunc regnans Capitulum *exiguo erat loco*; cur Capitulum factum ejus (quòd statim tibi ostendam) non reclamavit; sed PP. Observantes Baccharaci quietè agere, & habitare permisit; usque dum, non ab ipso, vel à redeunte Archi-Episcopo; sed à potestate Acatolica tam Baccharaco, quàm ex toto Palatinatu, cum omnibus aliis Religiosis fuère expulsi? quia autem ipsum factum, per me fideliter adductum, dicis *laborare falso*, en exhibeo tibi Copiatam Copiam Originalis Colonix asservati, & Ottonis illius propriâ manu subscripti, quæ talis est.

Num. 3. „ Otto Dei, & Apostolicæ Sedis  
 „ gratiâ Episcopus Azorensis, Eminentissimi  
 „ Principis, ac Domini D. Philippi Christo-  
 „ phori S. Trevirensis Ecclesiæ Archi-Episcopi  
 „ S. R. J. per Galliam, & Regnum Arelatense

„ Archicancellarii, ac Principis Electoris &c.  
 „ in Pontificalibus, & Spiritualibus Vicarius  
 „ Generalis.  
 „ Omnibus, ad quos præsentēs Litteræ per-  
 „ venerint, salutem in Domino. Cùm R. A.  
 „ P. F. Bernardinus Vetweis Fratrum Minoro-  
 „ rum Strict. Observantiæ, Provinciæ Co-  
 „ loniensis Minister humiliter ad Nos recurre-  
 „ rit, pro Confirmatione Residentiæ sibi, &  
 „ Fratribus commissis in Oppido Baccharach,  
 „ per mandatum Inviçtissimi Imperatoris, &  
 „ Decretum Serenissimi Regii Infantis con-  
 „ cessâ: Nos justis ejus precibus commoti, &  
 „ volentes divini Cultûs Augmentum, & Salu-  
 „ ti animarum providere, de benè memora-  
 „ tæ Reverendissimæ Celsitudinis suæ Autho-  
 „ ritate Nobis commissa, præsentibus dicto  
 „ R. A. P. Bernardino, & successoribus illius,  
 „ Cæterisque Fratribus ad dictum Oppidum  
 „ transmissis, vel futuris temporibus trans-  
 „ mittendis, concedimus, ut ibidem mane-  
 „ re, & habitare, Conventum extruere,  
 „ Deo, & proximis juxta Regulam suam, &  
 „ sui Ordinis Constitutiones servire, caterâ-  
 „ que omnia agere possint, quæ in aliis locis  
 „ consueverunt, nec ab eorum professione sunt  
 „ aliena. Omnes, & singulos in Domino  
 „ hortantes, & rogantes, ut præfatos Fratres  
 „ beneficiis Charitativis juvare, atque profe-  
 „ qui velint; facturi cumprimis in eo Deo  
 „ bono.

„ bonorum omnium Largitori, uti & Nobis,  
 „ rem gratam. In quorum fidem hæc Lit-  
 „ teras nostras propriâ manû subscriptione, &  
 „ Sigilli impressione comuniri fecimus. Da-  
 „ tæ in Civitate Trevirensi 11. Octobris 1640.

Locus † Sigilli

F. Otto Episcopus Azotensis.

*Copiam hanc cum suo Originali collatam, eique de verbo ad Verbum consonam attestor* F. Bernardus Bennonius Provinciæ Coloniensis Fratrum Minorum Strict. Observantiæ Secretarius mpp.

*Pro Copia antiqua copia, à Secretario Ordinis supra memorati confecta, per omnia concordante attestor* Treveris 12. Decembris 1755. Joannes Paulus Wolscheid Curix Archi-Episcopalis Trevirensis Actuarius, & Notarius Apostolicus mpp.

Num. 4. Nihilominus noster M. Verinus non absque causa dubitare se putat de existentia harum Litterarum: non absque causa adhuc semel repetit, dum pag. 307. subjungit: *Cui enim non incidat, hæc allegata laborare falso, cum ejusdem Philippi Christophari, dum in terris Trevericis omni adhuc Jurisdictione pollebat, Archi-Episcopalis Authoritas Capucinos anno 1630. ante RR. Regularis Observantiæ Patres in Civitatem Bascharacensem immiserit, habitareque permiserit, ut videre est supra &c.* Verum quidquid hominis demum sis, mi M. Verine! ipse-

met potuiffes, ac debuiffes hoc dubium depone-  
 nere, modò omiffis peregrinis ambagibus,  
 ipsum Electorale pro PP. Capucinis Decretum,  
 quod pag. 299. in tuo *Discursu Polemico* fcrip-  
 fti, & exfcripfiti, attentius legiffes: hoc  
 enim, quia non nifi conditionatum erat, &  
 quidem conditione non impletâ, posteriori  
 absoluto, pro Observantibus (in quibus im-  
 pleta exiftebat conditio) finè claufula expedito,  
 nullatenùs obftabat, nec de mente ipfius Archi-  
 Præfulis obftare debebat; utpote, qui in con-  
 ceffione PP. Capucinis facta cautè procedens,  
 hanc inferuerat claufulam: *Præhabito, ut par-  
 est, eorum confenfu, quorum intereft, & in-  
 tereffe poteris*; per quos denotabat Dominos  
 temporales. Non abfimile, ut ftatim clariùs  
 patebit, habes in hoc: *Do tibi Petro Filiam  
 meam, modò ipfa confentiat*; ipfâ interim ex-  
 pofit non nifi in Paulum confentiente, Paulus  
 eam (etiam de confenfu Patris) accipit; absque  
 eo, quòd confenfu præviu, & conditionatu  
 cum ultimo absoluto incompoiffibilis fit.

Num. 5. Sanè, licèt Archi-Epifcopus Ele-  
 ctor per nonnullos fortè fuerit informatus, ac  
 fi PP. Capucini *confenfum illorum, quorum in-  
 tererat*, jam haberent, vel de facili impe-  
 traturi effent; providè tamen iftam superio-  
 rem claufulam adjecit, ne præjudicaret Impe-  
 ratori, qui ex Jure belli tale dominium præ-  
 tendebat. Et quia idem Archi-Epifcopus pro  
 bono

bono rei Catholicæ jam fuerat inclinatus, ad collocandum ibidem Religiosos, quoscumque commodius posset; hinc illud idem, quod PP. Capucinis 1630. concesserat sub conditione consensûs Imperatorii, non illubenter expost PP. Observantibus anno 1640. absolute approbavit, & confirmavit, scilicet post consensum hujusmodi jam anno 1639. obtentum Vel si fortè propter Archi-Præfulis captivitate hic te captivare non velis, totum, quod ego de hoc dico, per me licet, tribue Metropolitanæ Capitulo. Equidem Otto Episcopus Azotensis Vicariam habebat, tenebat, & retinebat Archi-Episcopalem in Spiritualibus Jurisdictionem, de qua & in Diplomate loquitur, ibi: *Authoritate Nobis commissa*; sive interim hæc in Archi-Episcopo, sive in Capitulo, tanquam in principali residebat. Cur autem Otto non sub nomine Capituli, sed Archi-Episcopi confirmatoriam illam expediverit, alibi debebis potiùs indagare, quàm actum ejus irritare: ubi fortè inveniès plures ejusmodi, præsertim in Spiritualibus, expeditiones taliter tunc temporis fuisse factas. Addo, nedum Ottonem, sed & Metropolitanum Capitulum, totamque Archi-Episcopalem Jurisdictionem præsumi debere, Patribus Observantiæ id reverà, & quidem de facili confirmasse, quod stante Imperatoris mandato, & Regii Infantis Decreto in ipsa Confirmatione

allegatis, non poterant impedire; nisi fortè coram præfatis sinistram Observantinorum conversationem voluissent, & potuissent obmovere, de quo nihil factum. Et hæc iudico à peritissimis quibusque usque ad fundum capi; esto M. Verinus putet, admiraturos omnes Historiæ Trevirensis peritos existentiam, & subsistentiam confirmationis illius per me in Dialogo cont. assertæ, & ad longum hic adductæ.

Num. 6. In hac possessione Baccharacensi Patres nostri resederunt, usque dum, factâ Generali pace Germaniæ, anno 1650. Palatinus suum sibi restitutum vidit Palatinatum; tunc enim prætextu pacis Monasteriensis, Observantes simul cum omnibus aliis Religiosis, tum Baccharaco, tum cæteris Palatinatûs locis ejecti sunt, excepto *Crucenaco*, ubi nos per Rescriptum Cæsaream defensi, & firmati fuimus contra Palatini intentum. Et in hocce rerum statu quasi sine sacerdotio mansit Palatinatus, donec fides Catholica in eodem denuò incepit respirare, ex eo, quòd defuncto Electore Carolo, Caroli Ludovici Filio, anno 1685. per viam hæreditatis successerit serenissimus Princeps *Wilhelmus Dux Neoburgicus*, apud quem R.P. Franciscus Maria Berncastellanus PP. Capucinorum Provincialis se in continenti insinuans, & Observantes præveniens, impetravit licentiam, in Baccharach celebrandi divina, & deinde figendi domi-



domicilium, quod usque in hodiernum diem pacificè continuant fructificantes.

Num. 7. Ut autem ad punctum quaestionatum redeamus, nostri Observantiae Patres primam Baccharaci possessionem Residentiae ceperunt anno 1627. ex qua deinde (antequam anno 1639. ut supra visum est, per Decretum restituerentur) per Suecos expulsi fuerunt. Quia autem R. P. Hierotheus in sua *Provincia Rhena-na* prae tendebat, quod Capucini ante nos, scilicet ab anno 1621. ibi habuerint Residentiam, hinc praefatam de anno 1627. possessionem nostram pag. 260. hæc excipit narratione: „ Baccharaci res nostræ non acatholicâ, sed manu Religiosâ turbantur; Dum enim ex Ordine Hispani Regiminis novus ibi praefidiarius miles appellit, adsunt quoque duo de Observantia Patres ejusdem Sacellani Castrenses (NB. ut talis etiam P. Gabriel Capucinus anno 1621. intraverat) pro quorum victu sex quot mensibus imperiales ab Oppido exigebantur (utique ab axe tres pro unico Patre Gabriele) Hi itaque, locum sibi commodum, uillemque probantes, eum primitus concupiscere, dein 28. Martii possessionem ejus, nobis inciens, sumere (ergo Capucinorum nullus in Oppido erat) Crucem erigere, pluresque socios adsciscere, Hospitale S. Spiritus suis usus, cum murmure Magistratûs addicere, sicque Residentiam nobis eripere, sibi licitum, fra

„ fraternumque duxerunt. „ Et pag. 51. de plano enuntiat : *Baccharaco quondam à Minoribus de Observantia , modis non sat prameditatis expulsi fugimus in Agoniam Domini.* Et alibi , scilicet pag. 235. dicit , quòd ob penuriam Baccharacum spontè deseruerint. Veriùs, ob mutationem præfidiarii militis, proprium Castrensem suum conferentis , per se cessavit P. Gabrielis Capucini Baccharacense servitium militare.

Num. 8. Ast ! sicut in *Dialogo Cont. PP. Capucinis* modernam Conventûs illius jam per 71. annos inhabitationem non intendebam disputare (tamen in illo pag. 202. satis ostenderim nullitatem Residentiæ ab anno 1621. prætensæ) sic duras solummodò expressiones , quæ Observantes , veluti injuriosi Patrum Capucinorum Persecutores indigitabantur , ægrè ferebam , & adhuc fero. Dum autem expressiones hujusmodi ( quæ aliis in locis *Satanizantur* ) aliorum discretionis dijudicandas relinquo ; brevissimè hic quæro : Ex quânam tandem domo , vel habitaculo , Observantes expulerint Capucinos ? vel ubinam , sive in qua platea , vel plateæ parte Residentiam fixam habuerint , quam deinde Observantes dicantur eripuisse ? Narrat quidem supra citatus R. P. Hierotheus , qualiter Observantes , etiam cum murmure Magistratûs , Crucem erexerint ante Hospitale S. Spiritûs , ejusque possessionem ceperint ; Ast non addit , an Capucinos ex illo

illo expulerint, aut, an tales, vel illorum aliquem in eo habitantem inveneriat: Ubi equidem modò Capucini morantur, Observantibus expulsi, licèt non ab ipsis, quia ego modestiùs loquor. Narrat similiter R. P. Hierotheus *Provin. Rhen.* pag. 243. quòd P. Gabriel Colonienfis Capucinus anno 1621. cum socio missus fuerit Baccharacum pro servicio Militis Hispani (Ecce non nisi Castrensem) & à Gubernatore Balthasaro Bauzen de Senatùs, Civitùmque consensu, in commodam domum immissus: Verùm hoc semper fit, dum Sacellanis Castrensibus, æquè ac Militibus, cogitur Civitas hospitium assignare. Ubi proinde R. P. Hierotheus, vel pro ipso M. Verinus, deberet probare: Et Capucinos usque ad annum 1627. Commodæ istius Domus in habitationem continuasse, & simul (quod potissimum in questione est) Observantes eosdem ex illa commoda Domo expulisse, eandemque occupasse, quod nunquam valet ostendi; sicut nec ostenditur consensus Victoris Imperatoris, qui ad Residentiam ibidem fundandam tunc temporis requirebatur.

Num. 9. Verùm ab hoc præscindendo, Cur non manserunt bini Capucini, Veluti etiam Castrenses, in ista sibi assignata commoda domo, Observantibus interim Hospitale S. Spiritus, in quacunque demum qualitate inhabitantibus? Quæro ab exemplo: dum Capucini anno 1615. hic Treviris ad Sacellum S. Sebastiani admitteban-

tur,

tur, si Observantes non longè post ibidem ad S. Crucem sumpſissent possessionem, an per hoc Capucinos dicerentur expulſiſſe? Si dicas Baccharacum utrosque alere non potuiſſe: quæro, cur pertimeſcendam inopiam cum Observantibus remanentibus non diviſerunt? Cur habentes domum ab Hospitali S. Spiritus diſtinctam non exſpectarunt extrema, donec Observantes, Elcémolynis deficientibus primò coacti fuiſſent diſcedere; præſertim cum non hi, ſed illi (ut aſſeritur) Senatûs, Civiûmque tantopere decantatum haberent favorem, qui contra Observantes murmurabant, & à quibus, tanquam (ut pag. 182. dicitur) ab Oneroſis Hoſpitibus, liberari optabant? Uno verbo quis Capucinos Baccharaco abſcedere juſſit? fortè defectus confidentiæ in Dei providentia, quam in actis apud S. Nuntiaturam Observantibus objiciebant, dum hi ex parte Conventûs ſui Boppardiensis, allegando Decreta Pontificia, querulabantur contra Fundationem Capucinatorum in Bornhoven, prout talis obſectio diffidentiæ ſub terminis ſuis ſatis mordacibus, ut jacet, adducitur in noſtro Dialogo Cont. pag. 222. Unde, quæ in *Provincia Rhenana* pag. 182. Verba verbis onerando, adferuntur, de Vi PP. Capucinis ab Observantibus illata, credibilia non ſunt, ex eo, quòd pro eadem numero habitatione non eſſet contentio: quidquid interim effecerint Decreta Imperato-

rato-

ratoria ; quorum nullum unquam PP. Capucini pro hoc loco obtinuerant.

Num. 10. Deinde ubi, vel quomodò M. Verinus probat Veritatem dicti Hierotheani, quòd scilicet Baccharacenses anno 1727. contra Observantes, Veluti contra *onerosos Hospites* murmuraverint, absque eo, quòd destruat Arestatum publicum, quòd Consules, & Senatus primo anno post, scilicet anno 1628. die 28. Martii dederunt *Baccharaci*, quòd totum habes in *Dialogo Cont.* pag. 204. ? Sanè in hoc restantur, Observantes *ipsis molestos non fuisse*; adèd, inquit, *ut singuli pene Cives, si ut & nos pro nostra parte, per similia moti, prafatis Venerabilibus Patribus omnino faveamus, eosque pra omnibus aliis Religiosis (quicunque tandem ii sint) apud nos manere peroptemus; sub indubitata spe, quòd nostra Communitas; sicut iisdem, unà cum Dno Pastore, suam post Deum Conversionem adscribit, ita per eorundem constantem instructionem, & amicabilem Conversationem, & doctrinam in assumpta semel Religione Catholica, quòd diutius, eò majus sumptura sit incrementum.* Ecce murmur publicum contra Observantes *Onerosos Baccharacensium Hospites.* Ut verbo absolvam: Baccharacensem Conventum PP. Capucinis non invidemus, sed ab electrizato illo Calamo immunes relinqui rogamus.

Num. 11. Inter plurima, qua M. Verinus contra me, meòsque adduxit, examinandus etiam

etiam venit de nonnullis, quæ, loco, quoddamquam à R. P. Hierotheo benè dicta, probare debuisset, omisit. Principale, quod aliis dimissis, hic adhuc tangemus, est, quod R. P. Hierotheus in sua *Epitome* Publico intimaverit contingentiam facti, quo olim Capucinatorum Generalis ad Concilium Tridentinum Veniens, statim fuisset (utique per Observantes) acris disputatione impetitus, de vero, & genuino habitu S. Francisci; Unde ipse authenticam delineationem habitus ejusdem Sancti, qui Neapoli asservatur, coram Concilii Patribus expandisset, cum erubescencia Observantium; quorum deinde, addit, Generalis Minister hoc ictu percussus, ad alia callida argumenta divertitur &c. De hoc inquam (forte, quia Authorem istius Historiolæ non invenit, nisi somniantem) tacet M. Verinus, aliàs ad superfluitatem loquax; quem tamen latere non potuerunt meæ Litteræ ad R. P. Ignatium Bingensem datæ, & superiùs Cap. 3. N. 2. ex integro adductæ; quas R. P. Hierotheus fassus mihi est, se accepisse, & in quibus inter alia monueram, ut futurus Defensor Hierotheanus verificandæ huic Historiolæ non segniter se impenderet: quia periculosum valde foret, sacratissimo huic Concilio contingentias affingere, præsertim futes, & otiosas, quibus sacrum isthoc Concilium sese occupasset; utpote, quod post necessaria fidei dogmata, potius quæstiones instituit, de *Reformatione Regulari.*

larium; seu de forma regulariter vivendi, quàm de inani forma habitûs, vel Caputiî. Deinde:

Num. 12. Ut ad nonnullas adhuc Discursus Polemici reliquias accedamus: pag 324. Post enumerata Varia loca, in quibus prætendit, Capucinicam manum Hæresi primum indixisse bellum, sequenti me paraphrasi excipit dicens:

„ Interim tamen, quia Charitas non peccat, hinc  
 „ laudem hanc Capucinis abdicere, eorûmque  
 „ merita seroventiis tegere, illicitum, quin  
 „ & liberum erat; insuper existimare, & aper-  
 „ riùs scribere, *Capucinos ante annum 1611. in*  
 „ *Germania vix fuisse visos.* En! ignorabat  
 „ Neo-Historicus noster, quòd Capucini hunc  
 „ ante annum in Germania numeraverint, ac  
 „ incoluerint *unde quadraginta Conventus &c.*„  
 Respondeo, quòd imprimis nonnulla ibidem  
 enumeret loca, in quibus patenter Observantes  
 ante Capucinos ita jam fuerant operarii, ut Com-  
 munitates suam iis Conversionem adscripserint  
 per Attestata publica, quæ in fine *Itineris 4te Diei*  
 adduxi, & quæ expedita, ac subscripta potissimum  
 sunt anno 1627. & 1628. inter quæ signan-  
 ter unum est Communitatis *Alzeiana*, cujus  
 conversionem M. Verinus solis, & veluti primis  
 adscribit PP. Capucinis. Imò, non est credi-  
 bile, quòd in tóto Palatinatu fuerit locus, qui  
 eâ tempestate non viderit Observantes ante Capu-  
 cinos; quibus indecorum non est, quòd in illo-  
 rum labores introierint, etsi M. Verinus id ibi

per omnia neget. Neque ego (ut sinistrè existimat) PP. Capucinis suam objecit seroventiam, utpote per quos non stetit citius venire; tum, quia citius non erant admissi, tum etiam ex eo, quòd anno 1603. prius fuerint pro excipiendis Confessionibus licentiat, sicque missionibus adeptati, per Breve, quod incipit: *Aliàs felicis &c.* Venerunt equidem sat citò, quia sat benè, & non minùs opportunè.

Num. 13. Dum autem scripsi, Capucinos ante annum 1611. in Germania vix fuisse visos, non multis passibus erravi, prout M. Verinus putat, & publicat: quia, ut contextus mei, & circumstantiæ indicabant, locutus fui de nostra Germania, de qua erat quæstio, scilicet de parte Germaniæ Rhenana, quam R. P. Hierotheus in Præfatione suæ *Provinc. Rhenan.* infeliciorem dixerat, & propter inundantiam Hæresum *infixam in limo profundi*, tempore adventus Capucinorum anno 1611. in istam quæstionatam Germaniam; ad quam, ut asserit, *per singularem misericordis Dei gratiam destinabantur; ut in tam luctuoso rerum, animarumque statu quaererent, quod perierat; repararent, quod contractum; erigerent, quod dejectum erat &c.* Ad quod quadrat illud, quo Præfationem suam incipit, nimirum: *ut ubi abundare incepit impietas, superabundaret & gratia.* Per quam impietatem nequit intelligi Hæresis, utpote, quæ tunc non incepit, sed in illis partibus erat ferè

cen-



centenaria. Ego sanè exaggerationes Hierotheanas in *Dialogo Cont.* non censuraveram ; sed adduxeram solummodò, qualiter Boverius *Tom. 2. Annal. Capucin. pag. 866.* ( ut adventum suorum , anno suprâ mentionato ad Civitatem Coloniensem , quæ Rhenanis eorundem Provinciis initium dedit, summè faceret necessarium) sanctæ huic Ubiorum Metropoli turpissimam labem, sinè similitudine Veri, affinxit dicens , in Agrippinensi Colonia mores hominum , & fidei Catholicæ statum , eò corruptionis evasisse, ut Religiosi palam , & præsertim extra Urbem, religioso habitu uti non auderent. Nec Magistratus ibidem hanc adventûs præfati necessitatem agnovit , cùm in Præfatione ejusdem *Provincia Rhenana* astruatur difficultas, quam Magistratus , Religiosorum sufficientiam allegans, in admittendis PP. Capucinis obmovebat.

Num. 14. Interim abstrahendo etiam à singulis, capiendòque Germaniam in tota sua Latitudine ; dubito , an verum sit , quod M. Verinus loco citato , meam ignorantiam deprædicans , asserit , Capucinos ante annum 1611. in Germania numerâsse triginta novem : vel, quod magis sonat *undequadraginta* Conventus ; ex quo subjungit, discendum esse : *An Charitas ad veritatem accedat , dum fingit , quòd Capucini ante annum 1611. in Germania vix fuerint vixi.* Ubi è contra ego , cujus Charitatem suggillat , vellea discere, quousque Germania per

opponentes extensa fingatur. *Rvndus* namque P. Hierotheus in *Epitome* pag. 318. asserit, *Germaniam* ad annum 1581. primum Capucinatorum Conventum accepisse *Urania* in *Helvetia*, indeque ibidem Provincie Helvetice ponit initium. Verum quanquam *Helvetia* anno 1648. per pacem Westphalicam libera fuit declarata Respublica; attamen ab anno 1316. Jugum Domus Austriacae excutiens, à Germania jam tum extitit separata. Unde *Lexicon Hübner*, in quo R. P. Hierotheus mihi dixit, quod serè quotidie aliquid legeret, Germaniæ terminum, quem à parte Meridionali *Helvetia* respicit, assignat. Idem patet ex omnibus Tabulis Geographicis, *Helvetiam* à *Germania* excludentibus. Dum autem nonnulli *Helvetiam* in partem Germanicam, & Italicam dividunt, hoc fit, quia secundum illas duas partes *Italiam* versùs *Austrum*, & *Germaniam* versùs septentrionem respicit. Idem est, si M. Verinus *Belgium* velit Germanizare, nam juxta *Matthæum Seuter* in *Introductione* sua *Geographica*, terminus *Belgii* versùs *Orientem*, est *Germania*; & *Germaniæ* terminus *Occidentalis* est *Gallia*, & *Belgium*; cum quo per omnia etiam concordat *Hübner*: proinde dum primi *Capucini* ex *Belgio* (ubi *Epitome Hierotheana* ad annum 1595. *Belgicæ* *Capucinatorum* Provincie assignat initium) veniebant *Coloniã*; non ex-sed in *Germaniam*, quantum ab hac parte appulere. Quare, si M. Verinus

nus cum R. P. Hierotheo Germaniam velit extra Germaniam extendere, non disputo cum ipsis de Conventibus Germaniæ. Interim hæc meæ defensionis superabundant; ex eo, quòd cum R. P. Hierotheo de Germania Rhenana mihi fuerit tractatus.

Num. 15. Satiùs sanè inter peccata oblivionis abscondisset, seu tacuisset noster *quidam* M. Verinus de Observante Apostata, quem R. P. Hierotheus publicaverat *Durlaci* per Charitativum Patrem Capucinum ad publicam executionem perductum: talia enim, sicut me puderet è converso allegare, ità hic Hierotheanus Defensor, huic adhuc alias plures executiones non absimiles adjungit, ab aliis quidem narratas; sed in aliis circumstantiis, ad bonum publicum, vel in aliorum exemplum, sive ad manifestationem divinæ justitiæ tendentibus. Nec valent rationes pro cohonestanda illa Historiuncula per ipsum adductæ, inter quas principalis est, quam pag. 342. adducit dicens: „Alma Observan-  
 „tina Religio minùs bene, seu minùs aptè  
 „comparatur cuiquam *Sæculari Familiæ*, ut  
 „pote meliùs, & aptiùs assimilanda, & in se  
 „verè assimilata toti cuiquam Nationi, vel Reg-  
 „no: Nunc verò, si quis scripto vulgaret,  
 „Gallum, vel Hispanum sua ob delicta in fur-  
 „cam actum, aut ense fuisse peremptum, an  
 „per id Cæteros innocentes, ac honestos His-  
 „panos, sive Gallos erubescentiâ, & pudore  
 suffund-

„ suffundet? An quis prudens sentiet tali scrip-  
 „ to quemvis Gallum, Hispanumve prostitui?  
 „ Ità quòque dum publica Historia refert, Ob-  
 „ servantem degenerem Capite minutum  
 „ fuisse, id sanè prudenter in cujuslibet hone-  
 „ sti Observantis ruborem, seu opprobrium  
 „ detorqueri non potest. „ En habes diobolare  
 de lana, & lino argumentum, statim ruitu-  
 rum. Multos reverà audivi, talem narratio-  
 nem R. P. Hierotheo improbantes; ubi nescio,  
 an omnibus hisce, respectu Modesti Verini  
 applicandum sit illud Homeri: *Ille sapit solus,  
 volitans alii velut umbra.*

Num. 16. Ast, mi M. Verine! ut quid in-  
 utili rerum comparationi tot verba impendis,  
 dum omnes prudentes ad tuum sensum frustra  
 compellis, vel aliàs à prudentium numero ex-  
 cludis? esto enim, quantum ad multitudinem  
 hominum, possèt aliquialiter Religio nostra  
 Regno, vel Regioni comparari; respectu tamen  
 erubescentiæ objecti criminis, Familia  
 nostra non minùs benè, seu *minùs aptè*, sed  
 per omnia aptissimè comparatur *Familia saculari*,  
 ineptissimè autem in hoc passù alicui Regno,  
 Regioni, vel etiam usque adèò Civitati; pro  
 quo attende: Dum Prædicatores verbi divini  
 in vitia hominum generaliter invehentes, di-  
 cunt, non minùs sapissimè, quàm benè, quòd  
 in tali Regno, imò usque adèò in illa sua Civi-  
 tate, nedum fiant, sed & grassentur furta, for-  
 nica-

nicationes, adulteria, Sortilegia &c. Vellésne hæc æquè benè, & aptè de laudabili aliqua Religione, seu Religioso Ordine dicere? An non quotquot tetraliter ad publicum prædicantem attenderent talis Ordinis Religiosi, meritò erubescerent, dum talia de Religiosa sua Familia, etiam prout per Indias dispersa, audirent? Sanè in Regno, & Regione, imò & in singula Civitate, varia dantur hominum genera, multique Status, *Clericalis* imprimis, & *Sacularis*, quibus propter disparem vivendi obligationem, nulla prudentia permittit, vitia quæcunque in publico æqualiter objicere; utpote quod Sacri Canones, respectu Statûs Ecclesiastici, non in uno loco vetant. Et Religiosis præsertim Ordinibus, ex eo, quòd ætioribus Justitiæ, & continentiæ legibus se profiteantur alligatos, minùs talia licet objicere. Magis fortè adhuc injuriosum videretur, Observantiæ talia, vel Capucinicæ Religioni obmovere, veluti, quæ de Eleëmofynis, & gratiis etiam vulgi, habent vivere. Vulgus autem facillè Scandalizatur, & propter factum unius non rarò à multis avertitur. Apage ergo cum tuis Comparationibus, cum quibus magis offendis, quàm offenderat ille, quem tam ineptè defendis.

Num. 17. Festucam etiam trabi comparas in alia defensione, quoad causam suprâ mentionatarum querelarum, quæis Observantes

pro parte sui Conventus Boppardiensis se opponere foundationi Conventus Capucinorum in Bornhoven, propter nimiam viciniam; ubi R. P. Hierotheus in sua *Provincia Rhenana* hanc pronuntiaverat decisionem: *Veram quam debili usum suam hi Sapientiam contraposuerint consiliis Dei, subsequens demonstravit eventus, dum tres Antagonista primarii in eadem anni parte, eodemque ferè mortis genere Domum, quam nobis non favebant Bornhovii, intraverunt in aeternitate.* M. Verinus pag. 318. illos nominat, quendam Rom. Imp. Principem, Primiſſarium Campensem, & P. Casparum Germans Recolletorum in Provincia Coloniensi Provinciale. Superiora verba Hierotheana refert etiam pag. 315. M. Verinus; &, ut refutandam sibi exinde objectionem construat, immediatè subdit etiam nonnulla ex verbis meis scilicet: „ At  
 „ verò putem ego, quòd talium publicatione  
 „ miraculorum, quæ sufficienti indicio, quòd  
 „ ad honorem Divinum, vel aliorum exem-  
 „ plum directa, aut dirigenda sint, destituuntur,  
 „ Ecclesia Sancta Dei non indigeat, præ-  
 „ fertim dum ad Saniora monemur per pro-  
 „ verbum: *de mortuis non nisi bene;* invenerunt jam,  
 „ & viderunt suum judicem, quem nos propitium expectamus. „

Num. 18. Nunc, ut per denuò institutendam comparationem me refutet, atque illos tres reverà, tanquam consiliis Dei sese contraponen-

ponentes, divinâ punitione notatos confirmet,  
 pag. 316. pergit, ut sequitur: „ Mi P. Mata-  
 „ re! Lucas Waddingus de quodam Sacri ve-  
 „ stri Ordinis Adversario ad annum 1500.  
 „ Num. 38. sic scribit: Cùm Fratres omnes pla-  
 „ candi modos intentarent, locum deserue-  
 „ runt, clavésque per *F. Alvarum* Mar-  
 „ chioni tradendas miserunt. Dum traderet,  
 „ inquit: Quandoquidem... Nos fame oppri-  
 „ mere voluisti, domumque relinquere com-  
 „ pellis, claves accipe; sed cave, ne ante  
 „ annum ab illata nobis gravi hac injuria, Dei  
 „ sentias vindictam. Et quidem sensit: non  
 „ enim erat annus elapsus, quando absque  
 „ prole vitam terminavit. Ità ille. „ Quæ dum  
 „ Modestus Verinus eò usque fideliter retulerat,  
 „ hâc peroratione ad me se inclinât: „ At dic  
 „ nunc Sodes! an putas, quòd Ecclesia Sancta  
 „ Dei miraculi hujus publicatione indigeat?  
 „ An miraculo huic præ illo Bornhoviano in-  
 „ fidet vel simile, vel majus indicium, quòd  
 „ ad honorem divinum, vel ad aliorum exem-  
 „ plum fuerit directum, dirigive perierit? An  
 „ putas, quòd & in his Waddinganis locum  
 „ obtineat: *de mortuis non nisi bene?* An putas,  
 „ quòd in Dialogo continuato pag. 219. So-  
 „ briè, ac meritò Hierotheana Suggilletur  
 „ Omissio, cum & Waddingus omittat, an  
 „ Marchio, Adversarius vester, laboraverit  
 „ *Paralyti*, vel *Pbrysi*? Quid repones, si quis  
 „ „ alius

„ alius ad allatum illud Vaticinium diceret,  
 „ Marchionem jam dudum vel cœpisse labora-  
 „ re tabe, vel laborâsse accessione cujusdam  
 „ morbi, dum ei Claves deferebantur, sicque  
 „ ipsum ex quapiam malignitate naturæ, non  
 „ autem Deo Vindice, ut vult Waddingus,  
 „ decessisse ex vita? Dum itaque Waddingus,  
 „ & Hierotheus miracula non dissimilia vendi-  
 „ tant, necesse est, vel utrumque, vel neu-  
 „ trum censurâ Matarenâ perstringibilem  
 „ esse.„

Num. 19. Verùm, qualiter hîc iterum Hie-  
 rothei ad Waddingum, uniusque modi loquen-  
 di ad alterum comparatio valeat, videamus.  
 Waddingus retulit factum patenter injustum,  
 & quasi tyrannicum, quo Marchio ille, ut  
 præfertur, fame Fratres opprimere voluerat;  
 & cùm aliunde Deus mala non credatur relin-  
 quere impunita, talisque punitio ad ejus glo-  
 riam, aliorumque terrorem cedat (accedente  
 devoti Fratris prædictione) impunè, & sine  
 injuria poterat Waddingus punctionem divi-  
 nam interpretari per mortem Marchionis, ante  
 annum elapsum, ut Frater prædixerat, subse-  
 cutam. In causa ècontra Boppardiensi, & Born-  
 hoviana Minister Observantinus, & quicun-  
 que alii ipsi faventes, nihil petebant, nisi quod  
 Decreta Pontificum exigebant, sicque Justè  
 procedebant, paratæque propemodùm erat talis  
 Justitiæ Romana decisio, nisi Observantibus  
 sponte



Sponte placuisset cedere, ne Gratiofissimum sibi aliàs Electorem Archi-Episcopum offenderent; Cujus veritatis probationes potiùs vellem alicui in scriptis, & actis ostendere, quàm sine fructu ad typum dare. Quidquid sit, ad minus pro Observantina Justitia, saltèm formali, & quoad conscientiam, piè, Christianèque supponendum est; proinde, sicut non habet locum divina ab homine asserenda punitio, ità nec valet Historici ad historicum, quantumcunque fusa, & verbosa comparatio: manèscitque injuria non absterfa, quia defensione non subsistente, etiam non vult fieri revocatio. Porro quis non videt, injuriam mortuis illis illatam, hâc ipsâ comparatione augeri, & confirmari, dum concursus ille Observantinus manifesto crimini tam operosè comparatur, contra illud, quod dicitur Ecclesiastici 38. v. 24. *in requie mortui requiescere fac memoriam ejus.*

Num. 20. Et quantumcunque in suis comparationibus, nedum in hoc Capite; sed & alibi adductis, ac destructis, noster M. Verinus reperitur defectuosus; per aliam nihilominus comparationem me arguit, in eo, quòd non nihil hinc inde recusem credere, quæ ex Capucinatorum historia domestica ipse adducit, cum tamen, ut inquit, & ego allegem Annales Provinciae nostræ, quibus utique non major debetur fides. Et hæc ipsius comparatio utique valet de per se loquendo; Vacillat autem, si ab

una parte hinc & inde proferantur, quæ incredibilia sunt, & ad oculum ostenduntur nulla, qualia ego nunquam adhuc allegavi ex historia nostra domestica, & ad quorum lineam spectant E. G. illa, quæ suis locis allata sunt, de acri dissertatione circa formam habitûs S. Francisci in Tridentino facta, & quoddam Sacrum hoc Concilium PP. Capucinis Primatum, seu Successionem Minoritani Ordinis detulisset; illi verò ex humilitate recusassent. Eodem mihi loco, scilicet nullo, sunt, quæ M. Verinus pag. 194. narrat de Statua Vaticana Capucinico primùm Ordini per Benedictum XIII. delata, & ob sumptus recusata, quod refutatam habes Cap. I. N. 3. & seqq. Item de Consilio à Cardinale Vitellio dato, & pluribus aliis; quæ (si non fallor) ex Capucinatorum Annalibus domesticis deducta, in superioribus Capitibus produxi, & ad oculum destruxi. Quinimò etiam generaliter in Historiis, quæ tam apertis defectibus non laborant, pro inquisitione Veritatis, expedit Lectorem hinc inde non nimis esse credulum; sed studiosius inquirere, quid & alii, præsertim impartiales, in eadem parte sentiant, an allegata aliunde etiam confirmantur, ne fides humana sit nimium cæca, & captivationem intellectûs requirat in iis, in quibus hic non irrationabiliter reluctatur; pro quo Aristoteles 1. Topicor. *Potentes in utramque partem dubitare, de singulis speculamur Verum, & falsum.*

Unde

Unde Glossa in Lib. 3. Cap. de summa Trinit.  
*Dubitare in singulis non est inutile. Et dubitando  
 Veritas melius invenitur.* Ex l. *Munerum* ff. de  
 Mun. & bon.

Num. 21. Porrò, dum lites immortales  
 Jura horrent, & retrogradi magis controver-  
 siâ, quàm progredi oportet, vellem quærere:  
 quisnam ex duobus ab hac, vel consimili  
 scriptione imò deberet se retrahere, & tacere?  
 an ille, qui primò me, meumque Ordinem  
 aggressus fuit; vel an ego, qui (ex quo Cala-  
 mum non nihil ducere valeo) accedente Supe-  
 riorum mandato, non nisi ad interrogata, seu  
 veriùs, ad objecta respondi? Laboratum non  
 ità pridem fuit Romæ, ut mihi imponeretur  
 Silentium, dirigendæque Jactabantur Litteræ,  
 & reverà binis vicibus directæ fuerunt in Hi-  
 spaniam ad Reverendissimum Ministrum no-  
 strum Generalem, pro hoc efficiendo silentio;  
 qui equidem dignissimus Prælatus in similibus  
 procedere non solet, nisi auditis partibus.  
 partiùmque circumstantiis; unde etiam de tali  
 silentio mihi imponendo, nihil ad me pervê-  
 nit: ex causa utique, ne parte contrariâ primò  
 incipiente, & satis enormiter excedente, no-  
 stra pars, unicè læsa, primò deberet tacere;  
 quod, qui petit, *nimum petit*, sicque ad com-  
 mune proverbium, *nihil petit*; nam dicente  
 Socrate, *negat sibi ipsi, qui, quod difficile est,  
 petit.* Imò Camelus Ælopi petens cornua,  
 etiam

etiam aures amisit ; quod forte quâdrat in illos, quibus videntur aures in Calamum defluxisse, ex quibus ille, cui Plutarchus ajebat : *qui, quæ vult dicit, quæ non vult audire debet* ; Ubi fortè excusaret lapsus Verborum, nisi 7<sup>mo</sup> Ethicorum diceretur : *Verba sunt nota earum, quæ in animo sunt passionum*. Interim nedum loquendum, sed & scribendum nonnullis erat, ponentibus suam offensam in hoc, quòd ad exigentiam objectorum ipsis responderetur.

Num. 22. Si convenient rebus nomina sæpè suis, sanè mi *Modeste Verine*, cornua, quæ contra Itinerarium meum, à pluribus in Theologia Magistris bonâ notâ signatum, tu Theologorum (ut ex nominali Modestia te ipsum inscribis) *Minimus*, prolixè magis, quàm potenter erigis : Cornu unum deberet esse *Modestia*, alterum *Veritas*. Damus tibi non illubenter, quòd in discussione *Discursus Polemici* studiosissimum te æmulatorem ostenderis, si non paternarum traditionum, saltèm tui principalis R. P. Hierothei Confluentini, non obstante, quòd frequentissimè me admoneas illius Charitatis, quæ non æmulatur. An non ad æmulantem illam Charitatem tuam fortè pertineant expressiones, vilipensionis indices, quibus me catervatim, & parrhesiasticè accumulās ? Erras planè, & te deceptum invenis, si bonam illam notam, à viris Eximiis *Itineri 4<sup>ta</sup> diei*, unanimi Calculo adjectam, eisdem cogitas præripere per verba talia, quibus pugna-

pugnare desperatæ causæ indicium est, vel salutem in quibus gloriosius est vinci, quàm vincere. Interim, dum me incitiæ persæpè arguis; dum Grammatico, & primi anni Theologo me postponis, cum Diogene mihi respondere liceret: *non quidem irascor, dubito tamen, an non irasci oporteret*: Hæc tibi nihilominus dono, & condono; de plenotamen, & plano donare non valeo, quæ in Censores, & Approbatores meos minus congrua coniecisti.

Num. 23. Profectò non satis capio, qualiter assumpto per te, humilitatis causâ, *Theologorum minimi* titulo congruat, dum, nescio quibus modestiæ allusionibus, & Collusionibus *Prudentium simul & simplicianum* admiraturos adducis, quòd *allegata quaedam Facultas Theologica Scriptorem nuperum titulis tam multis honoret &c.* Dum alibi ironicè dicit: *Ecce Charitæ à Facultate Theologica approbata* quasi verò tales Viri Eximii, & Professores publici, qui & Theologos (dum minimi suapte naturâ dantur, & Vix unquam aliorum argumenta debitè corrigunt) magnos, & maximos ex professo creant, quasi inquam tales nescirent, quid legibus Charitatis consonum, vel dissonum, sicut & per quid impertinenti Calamo justè sit obviandum; quasi non justiore sententia ferre Censuram, quàm M. Verinus, dum Libellum Boniti Combasson, & contra Christianam Ethicam non offendere, & simul injuriosa continere, contradictionibus assuetus, asserit,

pro.

prout patuit suprâ Cap. 3. Iterum in arena con-  
tra me scribis; dum pag. 266. sequentia addu-  
cis : „ An idem *Dialogus* suam ad minus ap-  
„ probationem à Facultate Theologica retulerit  
„ Ad quod Modestus Verinus cum quopiam sa-  
„ cræ Theologiæ, & publico utriusque Juris  
„ Doctore, negativè responderet, eò quòd sex  
„ Regulares in Universitate Colonienfi creati  
„ Theologiæ Doctores; vel Licentiati, non sint  
„ Theologiæ ejusdem Universitatis Facultas, ut-  
„ pote cujus Venerabile Corpus non ex quinque,  
„ vel sex, sed ex longè pluribus, ac *Dignioribus*  
„ membris componitur. „

Num. 24. *Alit dicit etiam Sodes!* Ubi ego  
usquam *Dialogum* meum Continuatum à *tota*  
Facultate Theologica, aut à Facultate tali in Cor-  
pore approbatum asserui? Dum autem Appro-  
bationibus extraneis per modum tituli hanc præ-  
missi inscriptionem : *Approbationes Facultatis*  
*Theologica*, prout sæpè factum vidi ab aliis;  
nonne hæ ipsæ Approbationes per particularium  
Doctorum subscriptiones sufficienter particulari-  
zantur? Sanè, si *tota Facultas in Corpore* Libel-  
lum meum approbasset (quod operæ pretium  
non erat) non reportassem, nisi Chyrogaphum  
tinum à Decano Facultatis, vel de mandato, à  
Secretario subscriptum. Porro, dum non mi-  
nùs *Dialogo* præfixum legis : *Approbationes*  
*Theologorum Ordinis*, ubi equidem subnectun-  
tur tantùm duæ à tribus Lectoribus emeritis, de  
suo

suo particulari iudicio testantibus, subscriptæ; an per hoc voluerim dicere, totum Ordinem quâ Theologicum in Corpore, seu in Generali Capitulo congregatum, approbationem dedisse? Cæterum, præterquam in præfatis titulis distinctivis, ego nullibi dixi, Dialogum meum à Facultate Theologica approbatum, licet Verina Modestia (sumendo abstractum pro concreto) illusoriè ex illsdem titulis inferat: *Ecce Charitas à Facultate Theologica approbata!* Ille autem Eximius Trevirensis, quem ego Veneror, & quem Modestus Verinus hoc super puncto consuluit, sicut obliquè interrogatus fuit, ita & M. Verinus sinistrè ipsum intellexit. Unum adhuc noto, quòd scilicet M. Verinus asserens, Facultatem præfata[m] longè pluribus debere, & *Dignioribus membris constare*, quàm illis quinque, vel sex; quasi rem in medio positam supponat, ex dignioribus membris nullum approbationem dedisse, seu Doctores approbantes minùs respectivè fuisse dignos; quos ego equidem (sinè comparatione tamen) dico dignissimos; præsertim cum & ipse Eximius, & amplissimus Librorum Censor Archi-Episcopalis inter alios testetur, se Dialogum illum legisse, sicque nedum det licentiam, sed etiam approbationem.

Num. 25. Post viros hosce omni exceptione majores, M. Verinus ad percussuram Cribri sui binos etiam ex Ordine nostro Dialogi Approbatores Cribrandos assumit, dum interim Eccle.

27. v. 5. dicitur : *Sicut in percussura Cribri remanebit pulvis , sic aporia hominis in cogitatu illius.* Modestinum autem Cribrum pag. 40. ità applicatur : „ At non item transeat , quòd „ duo hi Lectores Emeriti , dum suum Calculum *Dialogo Continuat*o dederunt , non at- „ tenderint ad textum suæ Regulæ , nam in „ 3tio illius Capite non dicitur : *honestè lo-* „ *quentes de omnibus , sed honestè loquentes om-* „ *nibus ;* quæ alterius , prorsusque differentis „ significationis esse , ipsosmet etiam Laicos „ Minoritanos non latet. „ Ecce jam ite ad Scholam Patres mei , & discite à Laicis , qui usque modò cum laude docuistis ; sic enim contra vos nodus , ut ajunt , quæritur in scirpo , & à zoilandi libidine petitur , quod à ratione non potest. Interim , ut habet Versus : *Frigida pugnabant calidis , humentia siccis , mollia cum duris , sinè pondere habentia pondus.* Veruntamen si non *Simplicianus* (de quo suprà M. Verinus) saltèm *Prudentius* quisque advertit , vix curandum ibi intercessisse errorem Typographi , dum unica præpositio *de* ad distinctionem contextûs , non debuisset virgulari , seu sub minusculis imprimi , & in hoc totus stabat error à M. Verino minimè transmittendus.

Num. 26. Quantum verò ad ipsam rem , dicerent utique M. Verino Laici Minoritani (modò aliquàlter *Prudentius* , & non toti quanti *Simpliciani*) quòd attento Regulæ intellectu , S. Franciscus monens , honestè loqui *omnibus* utique



utique etiam, imò à potiori, voluerit, Fratres suos honestè loqui *de omnibus*. Unde absterfo errore Typographi, permissum utique erat binis illis Lectoribus emeritis, in Formula communis suæ Approbationis ponere, quòd Fratres Minores monente S. Patre, sint *honestè loquentes* (de) *omnibus, sicut decet*; dum additionem præpositionis illius exigebat sensus, quem intendebant. Interim præscindendo à tam futili controversia: Litteralis potius, quàm Grammaticalis sensus Legis tenendus est, quia (ut dicitur Cauf. 1. q. I. c. Marcion) *non putamus in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in Medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis*. Unde & Reg. 88. Juris in 6to habet: *Is committit in legem, qui Verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem*. Res itaque & intentio, non verba attendenda sunt; unde interpretem docet Horatius dicens: *Nec verbum Verbo curabis reddere fidus Interpres*: dummodo sermonum Varietas Spiritûs unitate concordet. Quòd solummodo dixerim Minoritanis Laicis, ne hi sibi persuadeant, quòd inhonestè loqui *de* hominibus, non sit contra Minoritanam Regulam.

Num. 27. Nunc mi Modeste Verine! quia properamus ad finem, Ecce habes ea, quæ à me postulasti, & in quibus ex professo, non tam novas assertiones, novamque dissertationis materiam protuli, quàm ad tua objecta respondi. Unde æquus Lector judicabit inter

me, & te, quis nostrum offensivè, quis defensivè processerit; tuamque sine dubio inveniet vacillantem *Veruatim*, & peregrinam *Modestiam*. Nec dixeris, quod ego te etiam punctiombus frequenter excipiam: praterquam enim, quod in modo pungendi non sit paritas, disparitatem allego in hoc, quod tu te nobis non exhibueris, nisi sub nomine ficto, sicque quoad publicum non es, nisi homo *quidam*, seu hominis individuum vagum, cui specialis reverentia non debetur, utpote quæ & ipsa vaga foret, & vagè applicata; unde te Dominum quidem quandoque nominavi; sed Fratrem (omni deficiente indicio) appellare non potui, à Fraternitatis proinde debito per te ipsum absolutus, qui nec ipse te Fratrem nominasti. Tametsi Patris, præsertim Trevirensis, non ignorent, quisnam ille sit, cui, quantum ad præsens, quadrat illud Horatii Lib. 1. Satyr. 1. *Mutato nomine de te fabula narratur*. Interim ait Codex lib. 9. de famol. Libel. *Si quis devotionis suæ, ac salutis publicæ custodiam gerit, nomen suum profiteatur*.

Num. 28. Punctiombus etiam, nedum in odiosis tuis Assertionibus, sed & in asserendis modis, hinc inde dignus es; dum vix argumentum aliquod, vel comparisonem debite instituis. Non raro, quæ agis, arguis, & quæ quodammodo in me detestaris, operaris, sicque libentius hinc inde me accusas, quam te defendis. Quandoque in æquivoco laboras, quan-

quandoque Labyrinthum circuis. Ego Ordinem Minoritanum frequenter sumo ut unum, frequenter ut distinctum, prout etiam revera, attendendo Regulam unus est, & spectatis Ordinis Capitibus, à se invicem independentibus, distinctus: Ubi, qui non distinguit, se extinguit; Unde fit, ut, dum ego loquor de allis, tu respondeas de cepis, sicque aëtem verberas, seu non Adversarium, sed umbram impugnas; & equidem, quia tibi pugnandum est, pugnare te putas. In titulum, seu inscriptionem Ministri nostri Generalis, infundata dictiona, Verborum tuorum sunt Ornamenta; & post illa, si quid in te Anonymum asperius dixerim, clamas, libellos meos esse prohibendos, eosque usque adeò Romæ acculas. *Petitionibus principiorum* incumbis, & magnus sæpe in re parva delinitor (parturientibus montibus) nurem pro Leone ostendis. Non rarò etiam extremis quodammodò unguibus incedens, Victoriã ante triumphum canis. Mox loqueris per ambages, ut mos est Oraculis, consultò ambiguus; mox, quæ ego nunquam negavi, multa passuum millia declamans, fusissimè probas, & rem actam agis, quasi ejusdem virtutis foret, & multa, & opportunè dicere. Plurima in pluribus pranotas, & post Notaminum pranotamina, aut quasi nihil dicis, aut à puncto quæstionis declinas. In iis me sæpè accusas, in quibus non ego, sed tu reuses, & ità proprio te gladio Jugulas. Nonnunquam dum Ca-

pucinos laudo, veluti de Contradictione me  
 arguis; licet nullibi eos vituperem, sicut nec  
 vituperare possum, aut volo. & equidem ite-  
 randis contradictionibus id agis, ut Empusam  
 Proteumque referas; & cum sis idem, aliam,  
 atque aliam specie nobis occurras. Varia illotis  
 manibus pertransis, & nullibi brevior es, quam  
 ubi Scripta Hierotheana vel maximè purgare  
 deberes. Persapè in tuis probationibus est in-  
 anitas, & in conjecturis infirmitas, & equi-  
 dem dictatoriâ severitate concludens, senten-  
 tiam proferis; nec solidè probas, quod intre-  
 pidè asseris; Unde ait tibi Socrates: *Disputa,*  
*quod audias, & proba, quod Credas.* Sicut  
 in meis erroribus declarandis liberalis, & qua-  
 si profusus, ita in illis ostendendis parcus es,  
 & quasi nullus, ipse equidem erroribus per-  
 quam obnoxius. Arte ludis Rethoricâ, & si-  
 mulas te præterire, quæ dicis: ut, qui objecta  
 probare non poteras, quasi prætermissa facias  
 mea eò majora contra veritatem peccata; & sic  
 amico parcis. Infideliter sapè citas, & sensus  
 corrumpis, & impunè contra legem *Corneliam*  
 impingis. Sacrum Capucinorum Ordinem ob  
 intrinsecam suam præstantiam ego magis vene-  
 ror, quam tu illum laudas, dum ejus pane-  
 gyrin in prætensis Observantium à Regula defi-  
 cientiis collocas. Unde sunt, qui sicut tu te ex  
 afficto nomine *Modestum*, sic me ex stylo dicunt  
*Modestiozem.* Interim si nomen tibi specio-  
 sum est, non minùs fictum est; & aliunde Lu-

cus ideo dicitur, quòd minimè *Luceat*: & *Parca*, quòd nunquam *parcant*: & vulgò Æthiopes vocantur *argentei*. Molles quidem hinc inde sermones tui in apparentia sunt, & à reverentia mansuetæ locutionis incipiunt; Ast radices quoque spinarum molles sunt, & ex ipsa sua mollitiè proferunt, unde pungunt. Hæc omnia tibi in fine hujus defensorii mei dicere volui, ut dum æqui nostri Judices hæc legunt, ex præcedentium probationum jam habita lætatione, dictorum meorum subscribere valeant Veritati.

Num. 29. Non dubito equidem de Veritate illius, quod Seneca reliquit dicens: *Placere aliquibus est possibile, placere multis difficile, placere omnibus impossibile.* Sic nec *Coquus optatam Stomachis parat omnibus escam.* Unde & Homerus suos prævidebat Zoilos, dum in *Prologo* dicebat: *Ergo nec invidia mihi respondere necesse; qua me, si qua manet, jam modò spreta jacet.* Quantumcunque interim judicem, me studuisse Modestix, rogavi nihilominus meos Censores, Viros Religiosos, simul & doctissimos, quatenus impartiali vigilantia dignarentur attendere, ut, si quid fortè meo Calamo, pro mea Chartagine applicato (esto præter intentionem offendendi) excidisset, statim, & sine ulla mea oppositione corrigeretur. Si verò argumenta mihi, meoque Ordini opposita, hinc inde alicui fortè appareant soluta, id non tam meæ dexteritati, quàm Justitiæ ipsius causæ, à me

ex Obedientia Superiorum defensæ, adscribat : Qui scripta mea Judicio præsertim, & Censuræ S. Ecclesiæ, aliorumque etiam Superiorum, ad quos tale Judicium spectare poterit, sicut & me ipsum ad quamcunque requisitam revocationem paratum, libenter subjicio; nam, ut inquit Augustinus Lib. I. de Trinitate Cap. 3. *Malo me reprehendi à reprehensore falsitatis, quàm ab ejuslaudatore laudari.* Cujus rationem subdit : *ab illo enim, quamvis ego non rectè, qui hoc non sensi, error tamen rectè vituperatur : ab hoc autem nec ego rectè laudor, à quo existimor, id sensisse, quod vituperat Veritas.* Et hisce Benevolum Lectorem valere Jubeo, sicut & te, quicumque demum sis, *Modeste Verine.*

Vis ergo me tacere? ne accuses : Depone gladium, & ego Scutum abjiciam..... Noli accusare, & ego cessabo defendere. S. *Hieronym. Lib. 3. contra Ruffinum.* Nec ego tibi, sed causa causæ respondit: Et si culpa est respondisse (quæso patienter audias) multò major est provocasse..... sit humanitatis tuæ, atque Justitiæ accusantem reprehendere, non respondentem. *Idem Lib. 3. in Epist. ad Augustin.*

IN  
ALPHA  
in quo nota  
Caput; Germa  
Eg. 10. numer  
præc  
ANTIQUIOR  
ostenditur e  
2.1. Non ex ad  
Non ex grad  
negativa antiqua  
1799. Non ex p  
Apostolica. 3  
ois à 40, ad 49  
ANTONII L  
itate Caputii M  
parita contra  
lauri adscripto  
II. 36. ATTES  
nibus adducta  
III. 3. AUTHO  
rioritate scriben  
1799.  
BACCHAR.  
III. 1. & seqq.